45

EPISTOLA
PASTORALIS
AD CLERUM POPULUMQUE UNIVERSUM
ALBANENSIS
DIOECESEOS.



ROMAE
EX TYPOGRAPHEO CONTEDINIANO
AD THERMAS AGRIPPAE

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNES FRANCISCUS

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPUS ALBANENSIS

S. R. E.

CARDINALIS FALZACAPPA

SUPREMI TRIBUNALIS SIGNATURAE JUSTITIAE

PRAEFECTUS

Venerabilibus Fratribus et Dilectissimis in Christo Filiis

ORDINI CANONICORUM, ANIMARUM CURATORIBUS, UTRIQUE CLERO,

OPTIMATIBUS, POPULOQUE UNIVERSO DIOECESIS SUAE

Salutem in Domino sempiternam

Cum hoc in more positum, institutoque majorum, ut qui ad alicujus Ecclesiae regimen ab Deo vocantur, statim paternis Litteris gregem sibi commissum alloquantur; haud praetermittendum, *Ven. Fratres, et dilectissimi in Christo Filii*, immo et libentissime agendum esse censui, ut vix Episcopus vester renuntiatus Pastoralem hanc vobis darem Epistolam testem, ac nuntiam amoris, et bene-

Digitized by Google

volentiae, qua vos omnes jam in Christo complector. Verum si ex animo contigisse video, ut praeclarissimae Albanensi Ecclesiae sacro devincirer connubio, haud possum tamen, quin ingenue fatear, non levi simul, immo gravissimo metu fuisse perculsum. Novi enim quale, quantumque sit Episcopale munus, vel ipsis Angelicis humeris formidandum, dum Pius VII. Pont. Max., cujus memoria perquam illustris semper, atque honorata, Anconitanam, atque Humanensem Ecclesiam mihi administrandam commisit. Quae quidem lectissima Dominici gregis pars ita sibi meum animum devinxit, numquam ut memoria excidant innumera benevolentiae signa, atque eximia Religionis, et ingenuae obedientiae testimonia, quae mihi ediderunt.

Neque jam aliter a vobis nunc sperandum mihi esse intelligo, cum probe norim, quod vir Eminentissimus, quem honoris caussa nominatum volo, PETRUS FRANCISCUS Episcopus Portuensis, Sanctae Rufinae, et Centumcellarum Cardinalis Galleffius, idemque S. R. E. Camerarius, ad omnem virtutem, religionis studium, ac fidei integritatem tot per annos vos informandos curaverit. Quî enim dubi-

tare umquam liceat, quin vos, qui tam optimo sub Duce, ac Rectore ambulastis semper in viis Domini, idem ipsum agatis etiam in posterum, et aemulemini charismata meliora?

Sed quoniam ea profecto est nostrorum temporum ratio, ut si minus aperta cum Sacrosanctae Catholicae Ecclesiae hostibus pugna, non deest tamen perditissimorum hominum manus, qui vel latitantes in tenebris, impiisque conventiculis, vel etiam sub mentita ovium pelle in lucem prodeuntes *subvertunt universas domos, et confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, mirum certe videri non debet, si pro ovibus mihi commissis, et quas in visceribus Christi Jesu summopere diligo, maxima premar sollicitudine, et timore afficiar.

Et certe timendum vehementer est, ne ea jam prope sint tempora, de quibus loquebatur Apostolus ad Timotheum: *Quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. Horum porro scelestissimorum hominum una mens est, ut clanculum, veluti nocturni fures, falsas omnino

disseminent opiniones, et dum callide simulant se esse Catholicos, affirmare nequaquam dubitent, posse quemque in quavis alia Religione salutem consequi aeternam. Unus, idemque eorum conatus, nihil ut intentatum relinquant, quo si fieri umquam posset Altare, aeque et Thronum labefactent, funditus etiam evertant. Sunt nimirum, ut Apostolorum Principis verbis utar *Magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis*.

Atque utinam callidissimi homines nihil omnino eorum dolis, atque artibus profecissent! dum memoria nostra videre magno cum animi dolore coacti fuimus spretam, despectamque humanam omnem potestatem, quae ab Deo erat; Sacerdotium in vincula, atque in exilium per vim traductum, et cuique liberum tum sacra, tum profana ad arbitrium suum permiscere. Verum si incendium restinctum, supersunt tamen ignes suppositi cineri doloso. Quorsum enim tanta laudum profusio novitati cuilibet, nisi ut destruantur, quae ad Ecclesiae splendorem, atque ad Imperii firmitatem pertinent, quaeque bene, sapienterque antiquitus constituta, unde vera, ac perennis civium felicitas? Quorsum humana ratio tan-

topere extollitur, nisi ut mens ab fidei obsequio alienetur, removeatur? Quorsum tandem tam immoderata juventutis utriusque sexus libertas, nisi ut boni corrumpantur mores, nulloque remorante fraeno, vitia latius, et audacius debacchentur?

Quis igitur non videat, quod plurimum adlaborandum, et continenter advigilandum, ne inimicus homo superseminet zizania in frumento electo? Nullis scilicet neque laboribus, neque curis, neque vigiliis umquam parcendum, ut sarta, tecta servetur Religio, quam sane singulari Dei beneficio a majoribus accepimus, et quam Servator noster Christus Jesus puram, immaculatamque constituit, et proprio ejus sanguine purpuravit, coagmentavit, firmavit. Quid enim prodesse poterit, maximum omnium ab Deo donum accepisse, idest Fidem, quae per Jesu Christi Evangelium praedicatur, ubi ab ea mores omnino dissentiant? Haec autem cursim perstringere volui, ut tela eo minus feriant, quo magis praevisa.

Itaque in hanc praecipuam Pastoralis sollicitudinis partem vos primum appello, *amplissimi Cathedralis Ecclesiae Canonici*. Estis utique vos *lux* mundi, ac *sal* terrae, per quos

condiendi quodammodo populi. Quod enim Christus Jesus suis dixit discipulis, id ipsum de vobis dicendum prorsus, ut quo magis ceteris dignitatis gradu praestatis, eo etiam magis aliorum oculos in vos alliciatis. Jam porro si *lux estis*, debetis vitae sanctimonia, et bonorum operum fulgore christianam plebem illuminare: et si *sal*, tum ministerio vocis, tum virtutum exemplo ab vitiorum corruptione eam avertere, servare: *Integritas enim praesidentium*, ut monet Tridentina Synodus, *salus est subditorum*. Luceat ergo lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.

Hoc ipsum dictum vobis esse volo, *Collegialium Ecclesiarum Canonici*, qui in singulis Dioeceseos nostrae locis degitis, quique potissimum Dei ministerio mancipati, plurimum conferre potestis in aedificationem Corporis Christi, si tales in omnibus esse contendatis, quales ex muneris vestri partibus sitis oportet.

Ad vos nunc sermonem converto, *animarum Curatores*, qui alteri a me vocati estis ad excolendam vineam Domini. Quaenam vigilantia, quaenam cura numquam omnino in-

Digitized by Google

termissa, quinam indefessus requiritur labor, ut oves vestrae custodiae traditae ad uberiora, ac salutaria pascua propellantur, ut ab iis secernantur haedi, et procul arceantur lupi rapaces, ne eas furentur, et maetent? Si mercenarius Pastor quieti nequaquam indulget, nisi prius singulas quasque oves in tuto posuerit, quanto magis evigilent necesse est Pastores animarum, quas Christus ipse redemit Sanguine suo? Vestrum igitur erit praedicare verbum Dei; imperitos docere; errantes in virtutis viam revocare; moribus perditos corrigere in omni patientia, et doctrina; omnes, brevi, pascere verbo, et exemplo: durissimum quippe judicium fiet his, qui praesunt. Super omnia autem frangite, quaeso, patienter panem parvulis, quo mature ediscant fidei mysteria, et Religionis rudimenta, ac bonis imbuantur moribus, ut progressu temporis augeatur in iis Religionis nostrae amor, puritas actionum, morumque integritas. Quae quidem eo diligentius, et alacrius perficienda curabitis, quo saepius memoria repetetis, altius vero in corde defixum habeatis, tum quonam pretio animas vobis concreditas Christus Jesus redemit in ara Crucis, tum etiam rationem,

quam aliquando reddituri estis de villicatione vestra.

Neque jam obliviscar vestrum, *Sacerdotes caeteri*, *Levitae*, et quotquot vocati estis in sortem Domini. Quae vestrae vitae ratio, eamdem in populo futuram non jam ego, sed Tridentini vos monent Patres. *Nihil est*, inquiunt ipsi, *quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, ac exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt*. Quae porro sanctitas, quae vitae integritas in iis suspicienda non erit, quibus tanta in Christi corpus tum reale, tum mysticum collata potestas? nempe et consecrandi, et offerendi verum Christi Jesu corpus, et sanguinem, tum etiam remittendi, ac retinendi peccata. Vos igitur hortor in visceribus Jesu Christi, ut *exhibeatis omnino vosmetipsos*, ex Apostoli monitu, *sicut Dei ministros in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta*.

Sed jam vos alloquor, *adolescentes Clerici*, qui in Dioecesano Seminario convivitis, ut ad omnem pietatem, ac doctrinam possitis informari. Estis utique vos examen novellum, at-

que adeo gaudium, et corona nostra. Quidquid nunc vobis polliceor, id omne, Deo semper juvante, praestaturum confido, nullam ut industriam, et sollicitudinem umquam praetermittam, quo magis magisque in scientia Dei, in morum probitate, sacrisque disciplinis possitis proficere. Vestrum porro erit eorum, qui vobis praesunt, curae, diligentiaeque pro viribus respondere, ut Albanensis Ecclesia Mater vestra laetari aliquando possit, eos aluisse filios, qui in excolenda vinea Domini uberrimos semper fructus videantur afferre.

Vos nunc teneo, *Ven. Sacrarum Familiarum Alumni*, qui arctiorem ab adolescentia ingressi viam, quae tutius ducit ad salutem, et Patrum vestrorum virtutum exempla imitantes, estis ubique bonus odor Christi. Equidem novi, quae perditi homines de vobis, vestrisque institutis obloquuntur, immo et impie effutiunt, praedicant. Interea tamen dum stulti homines, et insensati vitam vestram existimant insaniam, et finem sine honore, confortamini vos in Domino, manete in vocatione, in qua vocati estis, adlaborate in vinea caelestis Patrisfamilias, eoque semper spectate, ut euntes de virtute in virtutem pro-

Digitized by Google

positum tandem assequamini finem, quoniam merces vestra copiosa erit in Caelo.

Virgines Deo Sacrae, vos nunc affari decet, quae optimam partem elegistis, quam quidem nemo auferet a Vobis, si cursum, quem tam optime incoepistis, perseverantes usque in finem, tandem consummabitis. Alacres igitur sequimini ad montem myrrhae, et ad collem thuris Sponsum, qui elegit vos, et quem vos elegistis, ut, circumferentibus vobis mortificationem Jesu, vita ipsius manifestetur in corporibus vestris, et orationes vestrae numquam omnino intermissae dirigantur sicut incensum in conspectu Dei. Ita enim eritis vos etiam uti Virgines illae prudentes, quae acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, et quae, adveniente Sponso, cum essent jam paratae, intraverunt cum eo ad caelestes Agni nuptias.

Haec quidem ad eos omnes qui Deo sacri. Num autem pari caritate non complectar in visceribus Jesu Christi ceteros omnes, qui mihi semper Filii carissimi, et desideratissimi? Vos immo peramanter compello, *Magistratus*, *Optimates*, et cujusque ordinis, et sexus cives, vosque hortor, ac moneo, ut sobrie, juste, ac pie vivatis in hoc

saeculo: *sobrie* quidem quantum ad vos; *iuste* quantum ad proximum; *pie* vero quantum ad Deum, exspectantes beatam spem, et adventum gloriae Magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Nemo autem vos seducat inanibus verbis; propter haec enim venit ira Dei super filios incredulitatis. Mulieres subditae estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. Filii obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino. Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros. Servi denique obedite per omnia Dominis timentes Deum. Jam vero si haec Colossensibus commemorabat olim Apostolus, quid, quaeso, nostra hac aetate non esset dicturus, quo zeli igne non exarsurus, cum mores tantopere prolapsi, et tam late, atque audacter grassetur impietas?

Sed quoniam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, accedamus omnes in unitate fidei ad thronum gratiae, et misericordiae, atque sine intermissione oremus, ut qui stat, videat, ne cadat; qui infirmus est, ad salutem revocetur; et si juste adhuc pro peccatis nostris

Digitized by Google

affligimur, confugiamus ad JESUM CHRISTUM, qui est propitiatio pro peccatis, ejusque pretiosum sanguinem offerentes Deo, salvi facti erimus ab ira Dei per ipsum.

Ut vero petitiones nostrae innotescant apud Deum, deprecatricem adhibeamus VIRGINEM MARIAM Matrem dulcissimam, eamque non devoto pietatis solum sensu prosequamur, sed et operibus imitemur, ut nos omnes tamquam filios velit agnoscere, et materno tueri patrocinio. Suffragia deinde quaeramus invicti Martyris PANCRATII, cujus in tutela Cathedrale Templum, et Seraphici Doctoris BONAVENTURAE, quem olim habuisse Episcopum Albanensis Ecclesia omni jure gloriatur, ac denique eorum omnium Caelitum, quos praecipuo cultu Dioecesis veneratur, et colit.

Cum autem Deum oratis, mementote, quaeso, primum PII VIII. Pont. Max., ut quem Deus dedit regere universam Ecclesiam suam, eumdem, pro totius Christianae Reipublicae bono quam diutissime sospitet, vivificet, atque defendat.

Neque jam immemores estote mei, *Ven. Fratres, Filiique omnes in Christo carissimi.* Quo enim magis infirmitatis meae conscius,

eo etiam enixius vos deprecor, ut per preces vestras eam mihi Deus tribuat septiformis Spiritus gratiam, qua possim recte, ac fideliter adimplere ministerium salutis, et magis magisque in dies gloriari de vestro in viis Domini progressu. Equidem ego non cesso, neque umquam cessabo Dominum Deum deprecari, ut effundat super vos Spiritum gratiae, et precum, quo singula quaeque ejus mandata servetis, et vestram salutem operemini.

Quam primum ero inter vos, et tunc gaudium meum erit plenum; nunc autem tametsi absens corpore, praesens vero spiritu, ut aliquod meae in vos caritatis pignus habeatis, Pastoralem benedictionem omnibus peramanter impertio.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum vobis omnibus. Amen.

Datum Romae extra Portam Caelimontanam pridie Idus Quintiles die sacra Sancto Bonaventurae an. MDCCCXXX.

MC 2010485

Digitized by Google